

prudentes **1074** intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis ejus a deliciis paradisi nuper egressi rerum exteriorum sollicitudine gravare cavebant, eas ipsi intra semetipsos, ut poterant, digerentes, tantummodo de interioribus conscientiis suis, et causa animarum suarum eum consulentes.

28. In quo tamen pene hoc eis contigit, quod filiis Israel legimus olim de Moyse contigisse, cum diu conversatus cum Domino in monte Sina, et de caligine nubis egredere et descenderet ad populum, ex colloquio Domini facies ejus cornuta appareret et terribilis, adeo ut fugeret populus ab eo (*Exod. xxxiv, 29-35*). Egressus enim Vir sanctus a facie Domini, qua in solitudine Cistercii, et sublimioris altitudine contemplationis in silentio aliquandiu frui erat, quasi de caelo afferens inter homines miraculum quoddam conquestae sibi apud Deum plus quam humanae puritatis, homines quos regere, et inter quos conversari veniebat, pene omnes a se absterruit. Si quando namque de spiritualibus et aedificatione animarum sermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, et vix intelligebatur. Maxime autem in his quae ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, ut durus videretur sermo; in tantum non capiebant quae dicebantur. Rursum, cum singillatim eos audiret confitentes sibi, et semetipsos accusantes super diversis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne vivens homo penitus vitare potest; hoc potissimum fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conventio esse non potuit: scilicet quod homines inveniebant, quos in hac parte Angelos aestimabat. Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem, et ex conscientia jam olim acceptae a Deo gratiae singularis, simpliciter praedudicans universae conditioni humanae fragilitatis in tentationes seu inquisitiones cogitationum harum nullum Religiosum posse incidere; vel si incideret, vere religiosum non esse aestimabat.

29. Sed viri vere religiosi, et pie prudentes, et in praedicatione sermonum ejus venerabantur etiam quae non capiebant, et in confessionibus suis, licet ad novum stupere audirent, eo quod seminarium quoddam desperationis praefere videretur infirmis: tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putabant contradicere sermonibus Sancti (*Job. vi, 10*), non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu Hominis Dei, in quo nemo vivens justificari potest in conspectu Dei. Unde factum est ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum, Cum enim ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cepit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles et subjectos zelus suus esse suspectus, in tantum ut ipse jam potius accusaret igno-

(19) De eo in Necrologio S. Benigni: « III idus aprilis obiit Tecelinus monachus, pater domni Ber-

rantiam suam, et deferret necessitatem, quod silere non liceret, cum nesciret loqui: quod non tam alta ad homines, quam indigna hominibus loquendo laederet conscientias auditorum: quod tam scrupulose perfectionem a fratribus simplicibus exigebat, in quo se nondum inveniret ipse perfectum. Cogitabat namque eos multo meliora et viciniora salutis suae in silentio suo meditari, quam ab ipso audirent: devotius et efficacius salutem suam operari, quam ex ejus exemplo acciperent: ex praedicatione vero ejus scandalizari potius quam aliquid concipere aedificationis. Cumque super hoc vehementius turbaretur et contristaretur, et diversae cogitationes ascenderent in cor ejus, post multos cogitationum flexus et cruciatu cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora sua recolligere se, ibique in solitudine cordis et secreto silentii continere, et praestolari Dominum, donec quocumque modo misericordiae suae super hoc ei suam revelaret voluntatem. Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus, vidit in visu noctis puerum charitate quadam divina astantem sibi, et magna auctoritate praecipientem fiducialiter loqui quicquid ei suggereretur in apertione oris sui; quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et extunc manifestius in **1075** eo et per eum loquens Spiritus sanctus, et sermonem ei potentiorum et sensum in Scripturis abundantius suggerens in apertione oris ejus, apud auditores quoque ei gratiam addidit et auctoritatem, et intellectum super egenum et pauperem, peccatorem poenitentem, et veniam postulantem.

30. Cumque jam aliquatenus didicisset inter homines conversari, et humana agere et tolerare, jamque inter fratres suos et cum eis inciperet frui fructibus conversionis suae, pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos: qui cum aliquantum tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona (19). Soror quoque eorum in saeculo nupta (20), et saeculo dedita, cum in divitiis saeculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem fratrem suum, et adesset cum comitatu superbo et apparatu, ille detestans et execrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndum eam. Quod audiens illa, confusa, et compuncta vehementer, cum ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cum a fratre suo Andrea, quem ad portam invenerat monasterii, ob vestium apparatus stercus involutum argueretur, tota in lacrymas resoluta: « Et si peccatrix sum, » inquit, « pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, ideo consilium et colloquium honorum requiro. Et si despiciat frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, praecipiat: quidquid praeeperit, facere parata sum. »

nardi abbatis Clarae-Vallis. »

(20) Humbelina.

Hanc ergo promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam separare a viro non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, et in omnibus saeculi pompis et curiositatibus interdixit; formam vitae matris suae, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, et sic eam a se dimisit. Illa vero obedientissime parens praeepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam dexteram Excelsi. Stupebant omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu et victu, in medio saeculi vitam ducere eremiticam: instare vigiliis et jejuniis, et continuis orationibus, et ab omni saeculo prorsus se facere alienam. Biennio postea sic vixit cum viro suo, illo sane, secundo maxime anno, dante Deo honorem, nec temerare ulterius praesumentem templum Spiritus sancti. Qui etiam tandem virtute ejus perseverantiae victus, liberamque a se dimittens, juxta ritum Ecclesiae, facultatem ei concessit serviendi Deo cui se probavit. Illa vero optata libertate potita, monasterium Julleium (20) adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo servantibus reliquum vitae suae Deo vovit: ubi tantam ei Dominus gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo quam carne illorum probaretur virorum Dei esse germana.

CAPUT VII.

De ordinatione sancti Bernardi in abbatem, deque cura valetudinis ejus; item de laude disciplinae religiosae jam tum in Clara-Valle vigentis.

31. Cum autem missus noviter Claram-Vallem Bernardus, ordinandus esset in ministerium ad quod assumptus erat, et sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat, quaerentibus fratribus quo eum ducerent ordinandum, cito de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensis episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum esse definitum est. Sicque factum est. Abiit autem Catalaunum, assumpto secum Elboldone monacho quodam Cisterciensi. Intravit ergo praedicti episcopi domum juvenis exesi corporis et moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente monacho seniore, et magnitudine et robore corporis eleganti, aliis ridentibus, aliis iridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cum autem quaereretur quis eorum esset abbas, Episcopus primus oculos in **1076** eum apertos habens, agnovit servum Dei, et suscepit eum sicut servus Dei. Cum enim primo in privato colloquio omni melius locutione prudentiam juvenis magis magisque proderet verecundia loquendi, intellexit vir sapiens divinam visitationem in adventu hospitis sui. Nec defuit hospitalitatis pia instantia, donec usque ad familiarem fiduciam et libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum, jam melius eum commendaret conscientia sua quam verba. Quid

(20*) Gallice *Jully*, de quo supra not. 18*.

multa? Ex illa die et ex illa hora facti sunt co unum et anima una in Domino, in tantum ut saepe alter alterum hospitem deinceps haberet, et propria esset domus Episcopi Clarae-Vallis; Clarae-Vallensium vero efficeretur non sola domus Episcopi, sed et per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quinetiam et Remensis provincia, et Gallia tota per eum in devotionem excitata est ad reverentiam Viri Dei. Ab illo siquidem tanto episcopo caeteri didicerunt suscipere eum, et revereri tanquam angelum Dei, ita ut hujus temporis praesens in eo gratiam videatur homo tantae auctoritatis, sic affectus erga ignotum monachum et monachum tantae humilitatis.

32. Modico vero post tempore transacto, cum eousque infirmitas Abbatis ingravesceret, ut jam non nisi mors ejus, aut omni morte gravior vita speraretur, ab Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solum vitae ejus, sed et sanitatis spem habere diceret, si consilio ejus acquiescens, secundum infirmitatis suae modum aliquam corpori suo curam pateretur impendi, ille vero a rigore vel usu consuetudinis suae minus facile flecti posset, profectus Episcopus ad capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate, et sacerdotali charitate, toto corpore in terram prostratus, petiit et obtinuit ut tantum anno uno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantae humilitati in tanta posset auctoritate negari? Reversus itaque Claram-Vallem, extra claustra et terminos monasterii domunculam unam ei fieri praecipit; ordinans et mandans in cibo vel potu, sive in aliquo ejusmodi circa eum nullam ibi teneri Ordinis districtiorem; nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem, sed sibi [al. sibi] eum vivere secundum modum ab eo praestitutum.

33. Eodem tempore et ego Claram-Vallem, ipsumque frequentare ceppi: quem cum ibi cum quodam abbate altero visitarem, inveni eum in suo illo tugurio, quale leprosis in compitiis publicis fieri solet. Inveni autem ex praeepto, ut dictum est, Episcopi et Abbatum feriatum ab omni sollicitudine domus, tam interiori quam exteriori, vacantem Deo et sibi, et quasi in deliciis paradisi exultantem. Ingressusque regium illud cubiculum, cum considerarem habitationem et habitatorem, tantam mihi, Deum testor, domus ipsa incutiebat reverentiam sui, ac si ingrederer ad altare Dei. Tantaque affectus sum suavitate circa hominem illum, tantoque desiderio in paupertate illa et simplicitate cohabitandi ei, ut si optio illa die mihi data fuisset, nil tam optassem quam ibi cum eo semper manere ad serviendum ei. Cumque et ipse vicissim nos cum gaudio suscepisset, et quaereremus quid ageret, quomodo ibi viveret, modo illo suo generoso arridens nobis: « Optime, » inquit, « Ego cui hactenus homines rationabiles obediebant, justo Dei judicio irrationali cuidam bestiae datus sum ad obediendum. » Dicebat autem de quodam

homine rusticano et vano, nihil prorsus sciente, ipsum ab infirmitate qua laborabat, curaturum se jactitante, cui ad obediendum ab Episcopo et Abbatibus et fratribus suis traditus erat. Ibi cum eo manducantes, cum arbitraremur hominem tam infirmum, tantæque providentiæ commissum, sicut oportebat, procurandum, et videremus ei, agente medico illo suo, offerri cibos quos sanus quia vix præ angustia famis, attingeret, videbamus et tabescebamus, vix regulari silentio, nos cobibente quin in illum quasi sacrilegum et homicidam ira et contumeliis insurgeremus. Ipse autem in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æque omnia approbat: sicut qui sensu ipso corrupto, et pene emortuo sapore, vix aliquid discernebat. **1077** Nam et sanguinem crudum per errorem sibi oblatum pro butyro multis diebus noscitur comedisse; oleum bibisse tanquam aquam, et multa talia contingebant ei. Solam quippe aquam sibi sapere dicebat, eo quod dum sumeret, fauces et guttur ei refrigerabat.

34. Sic ergo tunc eum inveni, et sic habitabat in illa solitudine sua vir ille Dei. Sed non erat solus, cum quo erat Deus, et custodia et consolatio sanctorum Angelorum: quod etiam manifestis indicis demonstratum est. Nocte enim quadam solito attentius orando effuderat super se animam suam, cum tenuiter soporatus voces audivit tanquam transeuntis multitudinis copiosæ. Evigilans autem et easdem voces plenius audiens, cellam quoque in qua jacebat egreditur, et prosequitur abeuntes. Haud procul aberat locus deusis adhuc spinarum vepriumque fructibus abundans, sed nunc longe mutatus ab illo. Super hunc aliquandiu stabant velut alternantes chori hinc inde dispositi, et Vir sanctus audiebat, et delectabatur. Cujus tamen mysterium visionis non prius agnovit quam, translatis post aliquot annos ædificiis monasterii, eodem loco positum oratorium cerneret, ubi voces illas audisset. Mansi autem indignus ego cum eo paucis diebus, quocumque oculos vertebam, mirans, quasi cælos me videre novos, et terram novam, et antiquorum Ægyptiorum monachorum patrum nostrorum antiquas semitas, et in eis nostri temporis hominum recentia vestigia.

35. Erat enim tunc temporis videre Claræ-Vallis aurea sæcula, cum viri virtutis, olim divites in sæculo et honorati, tunc in paupertate Christi gloriantes, Ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore et ærumna, in fame et siti, in frigore et nuditate, in persecutionibus, et contumeliis, et angustiis multis; præparantes Claræ-Valli eam quam hodie habet sufficientiam et pacem. Neque enim se tam sibi quam Christo et fratribus inibi Deo servituris vivere æstimantes, pro nihilo habebant quicquid sibi deesset: dum relinquerent post se quod illis sufficeret et ad subsidium necessitatis, et ad aliquam conscientiam voluntariæ pro Christo paupertatis. Primumque facie ab introeuntibus Claram-Vallem per descensum

(21) Vide epist. ad Fratres de Monte Dei, num. 9.

montis, Deus in domibus ejus cognoscebatur, cum in simplicitate et humilitate ædificiorum simplicitatem et humilitatem inhabitantium pauperum Christi vallis muta loqueretur. Denique in valle illa plena hominum, in qua nemini otiosum esse licebat, omnibus laborantibus, et singulis circa injuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut et ipsi, non dicam prava vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui viderentur. Loci vero ipsius solitudo inter opaca silvarum, et vicinorum hinc inde montium angustias, in quo servi Dei latebant, speluncam illam sancti Benedicti patris nostri quodammodo representabat, in qua aliquando a pastoribus inventus est: ut cujus imitabantur vitam, habitationem ejus ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine solitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus, ordinis ratione charitatis ordinata singulis solitariam faciebat; quia sicut unus homo inordinatus, etiam cum solus est, ipse sibi turba est; sic ibi unitate spiritus, et regularis lege silentii, in multitudine hominum ordinata (21), solitudinem cordis sui singulis ordo ipse defendebat.

36. Domibus vero et habitaculis simplicibus victus inhabitantium persimilis erat. Panis non tam furfureus quam terreus vitabatur, duris fratrum laboribus vix de terra deserti illius sterili productus: cætera quoque cibaria quæque vix erant aliquid saporis habentia, præter quam quod fames seu amor Dei faciebat. Sed et ipsum novitii fervoris simplicitas sibi tollebat, cum, quasi venenum arbitrantes quicquid comedentem utcumque delectaret, recusarent dona Dei propter gratiam quam in eis sentiebant. Cum enim circa omne genus carnalis **1078** tolerantia, cum adjutorio gratiæ Dei, studium spiritualis Patris hoc in eis effecisset ut plurima, quæ homini in carne constituto impossibilia prius videbantur, jam non solum constanter peragerent et sine murmuratione, sed etiam cum ingenti delectatione: ipsa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem, eo periculosiorem, quo eam æstimabant quasi remotiorem a carne, spiritui propinquiorem. Persuasum quippe habentes, et quasi cum testimonio conscientia suæ memoria fideliter commendatum, inimicam esse animæ omnem delectationem carnis, quicquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendum arbitrabantur. Quasi enim per aliam viam reduci se putabant in regionem suam, cum præ dulcedine amoris interioris, amara aque ac dulcia delectabiliter edendo, delectabilius vivere sibi viderentur in eremo quam prius vixissent in sæculo.

37. Cumque in hoc suspectam aliquatenus haberent spiritualis Patris quotidianam correptionem

nem (21*), quasi carni eorum plus quam spiritui deferentem, aliquando ad iudicium prædicti Catalaunensis episcopi, qui tunc forte aderat, res delata est. Super quo vir ille potens in verbo, sermonem ad eos aggressus ad eum finem perduxit, ut omnem hominem, quicumque dona Dei recusaverit propter gratiam Dei, inimicam esse gratiæ Dei, et Spiritui sancto resistere pronuntiaret. Adducta siquidem historia de Eliseo propheta, et filiis Prophetarum cum eo in desertis locis vitam eremiticam ducentibus, quomodo, cum aliquando ad horam refectionis ventum esset, amaritudo quædam moris in olla decoctionis eorum inventa, per virtutem Dei et ministerium prophetæ, per infusionem farinulæ dulcorata est: « Olla, » inquit, « illa prophetica, olla vestra est, nil in se nisi amaritudinem habens: farina vero amaritudinem in dulcedinem convertens, gratia Dei operans est in vobis. Sumite ergo securi, et cum gratiarum actione, quod cum naturaliter minus aptum fuerit usibus humanis, ad hoc per gratiam Dei vestris est usibus aptatum, ut utamini et comedatis. In quo si inobedientes et increduli permanetis, resistitis Spiritui sancto, et gratiæ ejus ingrati estis. »

CAPUT VIII.

De magna vitæ ejus severitate, et indefesso inter continua fractæ valetudinis incommoda laborandi studio.

38. Hæc ergo fuit in tempore illo sub abbate Bernardo et magisterio ejus in clarissima et clarissima valle illa spiritualium schola studiorum: hic fervor regulæ disciplinæ, omnia eo faciente et ordinante, et tabernaculum Deo in terris ædificante secundum exemplar quod ei in monte ostensum est, cum in solitudine Cisterciensi cum Deo in nube habitaret. Et utinam post rudimenta primæ conversationis, postquam didicit aliquatenus et consuevit homo cum hominibus esse, et intelligere super egenum et pauperem, compatiendo infirmitatibus hominum; utinam se circa semetipsum talem exhibuisset qualem erga cæteros, tam benignum, tam discretum, tam sollicitum! Sed continuo, cum ab annuæ illius obedientiæ vinculo solutus, et sui juris effectus est, velut arcus distentus ad pristinum rigorem, et sicut torrens detentus et dimissus, ad prioris cursus consuetudinem reversus est, quasi repetens a semetipso poenas diuinæ [al. diusculæ] illius quietis, et damna laboris intermissi. Videres hominem imbecillum et languidum conari et aggredi quæcumque vellet, minus considerare quid posset; sollicitum pro omnibus, circa seipsum negligentem; omnibus in omnibus aliis obedientissimum, sed de seipso vix aliquando seu charitati, seu potestati obedientem. Semper enim priora sua nulla reputans, majora moliebatur ad non parcendum corpori, ad studii spiritualibus robur addendum, corpus suum variis infirmitatibus per se attenuatum, jejuniis insuper et vigiliis sine intermissione atterendo.

(21*) Vide serm. 1 de Epiph., num. 1.

39. Orabat stans die noctuque, donec genua ejus infirmata a jejunio, et pedes ejus **1079** a labore inflati, corpus suscinere non possent. Multo tempore, et quandiu occultum esse potuit, cilicio ad carnem usus est: ubi vero sciri advertebat, continuo illud abjiciens, ad communia se convertit. Cibus ejus cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent. Cætera vel ejus infirmitas non recipiebat, vel parcimonie studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro et nimis modico, cum magis aquam et infirmitati suæ et appetitui competere testaretur. Sic autem affectus et confectus, a communi fratrum labore, seu diurno seu nocturno, vix se aliquando patiebatur esse excusatum, seu ab occupationibus et laboribus ministerii sui. Videbant eum et conversationem ejus homines medici, et mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os ejus indigestæ cruditiis eruptio aliis inciperet esse molestior, maxime autem in choro psallentium, non tamen illico collectas fratrum deseruit; sed juxta locum stationis suæ procurato ac effosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquandiu, prout potuit, necessitatem illam transegit. At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc demum collectas deserere, et seorsum secum habitare compulsus est, nisi quantum sive colloquutionis, sive consolationis gratia, sive disciplinæ claustralis necessitate, conventui eum fratrum aliquando oportebat interesse.

40. Et hæc fuit tristis illa necessitas, qua primo sancta illa fraternitas sanctæ illius paternitatis jugi consortio carere posse coacta est. In quo dolemus quidem et plangimus infirmitatis ejus tristem effectum; sed sancti desiderii et spiritualis fervoris affectum veneramus. Quanquam nec infirmitatis ejus effectum usquequaque plangendus sit et dolendus. Quid enim, si voluit sapientia Dei per infirma potius hominis illius tot tantaque confundere fortia mundi hujus? Quid vero aliquando pro qualibet infirmitate ejus remansit infectum, quod per eum secundum datam sibi gratiam fieri oporteret? Quis enim nostra ætate, quantumvis robusti corporis, et accurate valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste fecit, et facit moribundus et languidus, ad honorem Dei, et sanctæ Ecclesiæ utilitatem? Quantum postea numerum hominum verbo et exemplo traxit de sæculo non solum ad conversionem, sed ad perfectionem. Quas ex eis per totum Christianum orbem constituit domos seu civitates refugii, ut quicumque peccaverint ad mortem, et æternæ mortis rei judicati fuerint, reminiscantur et convertantur ad Dominum, et confugiant ad eas, et salventur in eis? Quæ schismata Ecclesiæ non sedavit? quas non confudit hæreses? quam pacem inter dissidentes ecclesias et populos non restituit? Et hæc quidem communia sunt. Cæterum quæ bona

innumeris hominibus singillatim præstitit pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret?

41. Porro si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam; quia quicumque spiritu Dei aguntur, multum verentur in servo Dei reprehendere nimium [al; nimiam] istam nimietatem. Habet et facilem apud homines excusationem, cum vix audeat quisquam eum condemnare, quem Deus iustificat, tam multa, tam sublimia cum eo et per eum operando. Felix cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri præsumere sibi solent ad gloriam. Fuit autem bono juveni suspecta juvenus sua; beatus quippe qui semper est pavidus: fuerit ei studium tantam virtutum plenitudinem quam habebat ex gratia, aliqua etiam laboris sui conscientia cumulare; sed et vita ejus, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentia exemplo carere non debuit. In quo servus Dei, etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Quid autem eum nitimur excusare, in quo ipse qui veretur omnia opera sua, non confunditur usque hodie se accusare, sacrilegii arguens semetipsum, quod servitio Dei et fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore inbecille illud **1080** reddiderit, ac pene inutile? Sed convuluit de infirmitate, et infirmus fortior et potens factus est. Virtus namque Dei vehementius in infirmitate ejus refulgens, extunc usque hodie digniorem quamdam apud homines ei efficit reverentiam, et in reverentia auctoritatem, et in auctoritate obedientiam.

42. Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod, ut supra dictum est (22), ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus. Nec tunc tantummodo, sed omni tempore conversionis, et subjectio- nis et prælationis suæ, ipso ordinante quo et agente, congruo ordine ad hoc instituebatur; et ignoraans quid de se fieret, non solum monastico, sed et omni ecclesiastico ordini in hoc præparabatur. Et primum quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo et verbo in conventu fratrum intra septa monasterii ad hoc omni studio vacans. Postmodum autem, cum ad alium vitæ et conversationis ordinem infirmitate corporis cogeretur, et, sicut dictum est, necessitas infirmitatis, et ordo necessitatis a communi eum conversatione conventus plus solito sequestraret, hæc prima cœpit esse occasio ut quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac liberalius commodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque et longius aliquando a monasterio pro causis Ecclesiæ communibus obedientia traheretur, et quocumque veniret, undecumque locuturus, de Deo silere non posset, et agere quæ Dei sunt non cessaret, sic in brevi apud homines

(22) Cap. 1, n. 2.

innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcumque oportebat non dissimularet. Sed et licet a primo flore ineuntis ætatis, fructibus Spiritus semper abundaverit, ab hoc tamen tempore copiosius ei addita est, sicut Apostolus dicit, *manifestatio Spiritus ad utilitatem* (I Cor. xii, 7); sermo scilicet fecundior sapientiæ ac scientiæ cum gratia prophetiæ, operationes virtutum, et diversarum opitulationes sanitarum. Quorum quædam quæ certa narratione didici, qua fide a fidelibus mihi viris assignata sunt, eadem et ipse legentibus resigno.

CAPUT IX.

De miraculis per eum patris, et periculo arrogantia in eo mire per propinquos represso.

43. Primum ergo signum hoc fuit, quod in manu servi sui mundo celebre Christus effectit. Cum aliquantos jam in Clara-Valle expleisset annos, contigit, virum nobilem, et ipsius quoque secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate (22*), quod est oppidum proximum monasterio, graviter infirmari: qui, subito præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter et loquelam. Unde et filius ejus Josbertus junior, et omnes simul amici, eo magis affligebantur dolore, quod sine Confessione et viatico vir magnificus et magnifice honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem; neque enim tunc in monasterio erat. Venit, et invenit eum jam triduo sic jacentem. Compassus autem homini, sed et motus lacrymis filii, simul et lugentium cæterorum, confusus est de misericordia Dei, et sermonem magnificum protulit, dicens eis: « Notum vobis est, quod in pluribus homo iste gravavit ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum. Si mihi creditis, ut ecclesiis restituantur ablata, et usurpata in gravamen pauperum consuetudines dimittantur, loquetur adhuc, et suorum confessionem faciet delictorum, divina quoque suscipiet sacramenta devotus. » Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exsultat: quidquid præcipit Homo Dei firmiter ei promittitur, et impletur. Cæterum frater ejus Gerardus, et Galdricus avunculus, non parum terri et turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguunt, acrius invehuntur. Quibus breviter simpliciterque respondens: « Facile, » inquit, « facere potest Deus, quod difficile credere vos potestis. » Itaque post secretam orationem, ad oblationem sacrificii immortalis accedit. Quo offerente nuntius supervenit, **1081** qui indicaret præfatum Josbertum, libere jam loquentem, rogare obnixius ut Vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum Sacrificium venienti cum lacrymis et gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit: et duobus post hæc aut tribus diebus vivens et loquens, ea maxime quæ præceperat Abbas sanctus, constituit sine ulla retractione servari. Sed et disposuit domus suæ, et ele-

(22*) Gallice *La Ferté-sur-Aube*.

mosynas dedit: et sic demum Christiano more in bona spe misericordiæ Dei animam exhalavit.

44. Revertebatur aliquando Pater sanctus a pratis, et obviam habuit mulierem parvulum filium in brachiis deportantem, quem de longe attulerat ad eum, ab utero matris habentem manum aridam, et brachium tortum. Motus autem lacrymis matris et precibus, jussit puerum deponi; factaque oratione continuo signans puerum, et brachium et manum ejus, dixit mulieri ut vocaret filium suum. Vocavit illa infantem, et ille accurrit, et utroque brachio amplexatus matrem suam, sanus factus est ex ea hora.

45. Erant autem hujus beati viri fratres et filii spirituales mirantes super his quæ audiebant et videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus ætati, et novæ adhuc conversationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus, et Guido primogenitus fratrum, cæteros anteibant: ut ipsos tanquam geminos quosdam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse divinitus videretur. Neque enim parcebant, verbis durioribus exagitantem teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene gesta, signa omnia annihilantes, et hominem mansuetissimum nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas impropertis et opprobriis affligentes. Narrare solet venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, sancti Viri et propinquus sanguine, et conversione socius, et extunc per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manus ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus adfuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per Castrum-Nantonis (23) in territorio Senonum, et juvenis quidam, cujus pedem fistula occupaverat, prædicti Patris tactum et benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem statim convaluit, et post paucissimos dies regressi per idem oppidum, sanum eum atque incolumem invenerunt. Cæterum sæpe dictus beati Viri frater ne ipso quidem poterat compesci miraculo, quominus increparet eum, et præsumptionis argueret, quod acquieverit tangere hominem: tanta siquidem charitate pro eo sollicitus erat.

CAPUT X.

De aliis sanitarum beneficiis erga diversos præstitis.

46. Circa idem tempus accidit ut avunculus ejus Galdricus, qui et ipse zelo simili ejus mansuetudinem, sicut prædiximus, duris increpationibus obruebat, gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili obsecratione compellat ut sui miseretur, et opem sibi ferat quam cæteris consuevit. At ille, cujus spiritus super mel dulcis, primum leniter breviterque commemorans crebras super hujusmodi objurgationes ipsius, et opponens ei, ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tan-

(23) Gall. *Château-Landon*.

dem [al tamen] manum imponit, et febrem abscedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in semetipso quod in cæteris arguebat. Idem quoque Galdricus cum in Clara-Valle aliquantos jam perageret annos, fervens spiritu, et totius boni æmulator, ex hac luce migravit: qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, et toto corpore terribiliter motus infremuit: sed ad pristinam serenitatem reversus, vultu deinceps placidissimo exspiravit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari. Siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis, cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, et in magna sese gratularetur felicitate locatum, demum interrogatus est, **1082** quidnam sibi voluerit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem quod ea hora duo spiritu nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent: unde territus ita contremuit, sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.

47. Longum esset cuncta narrare quæ super his qui ex hac vita discesserant, et eorum felicitate seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. Unum tamen dixerim, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse commemorat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conversationis, et minus compatiens quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri, et habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem quid sibi esset, quatuor lacertis [al. dilaceratis] sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, et quasi præcipitanter expulsus a facie Viri Dei, qui gravius ingemiscens, post tergum ejus clamavit: « Præcipio tibi, in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterum innotescas. » Et conversus ad orationem pro eo, et oblationem hostiæ salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat sanctitatem, eidem similiter subvenire monebat. Nec vero destitit, donec post paucos dies, sicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione, meruit consolari.

48. [Vir reverendissimus Humbertus, Igniacensis (23*) postea cœnobii ædificator et primus pater, in Clara-Valle tam acriter morbo epilepsiæ laborabat, ut septies corruens una die, demum etiam cerebro turbato, vix multorum manibus fratrum colligatus in lectulo teneretur. Adveniens autem venerabilis Abbas, et sic inveniens virum, quem pro sua sanctitate speciali venerabatur affectu, repletus est zelo, et ait: « Quid facimus? Eamus, oremus. » Ut autem ingressus oratorium genua flexit, prædictus vir inter manus tercentium obdormivit: qui sequenti die Dominica, de manu ejus Sacramenta

(23*) Vulg. *Ignny*, in diœcesi Remensi, fundatur an. 1127.